

& aliis carnalibus videntur iusti, fieri no-
uissimos, & haberi apud Deum peccato-
res, operibus suis, quod tantum est gra-
tiæ Dei, deberi putantes, dicit Christus.

Censura, Hæc annotatio cum præce-
dente est eiusdem farinae.

*Quin potius ad molam trahendi essent cum
suis farinis censores.* Nihil clarius est quàm il-
lic taxari eorum superbiam, qui ad se trāsferen-
tes quod Dei gratiæ proprium erat, hanc iusto
honore fraudāt, & seipsos vana præsumptione
deludūt. Sub farinae nomine fumū nescio quem
aspergunt censores, vt dixisse aliud videar: sed
fumum hunc, qui sponte euanescit, discutere ni-
hil attinet.

Eccle. ^{si aliter} ii. b. 14. Amos 3. b. 6. Artic. 86.

Annotatio, Bonorum & malorum au-
thor Deus.

Censura, Hæc annot. indistinctè capiē-
do authorem, hæretica est & blasphema.

Nempe hoc proficiunt, vt calumniam, Dei
Prophetis ipsos minari Lector intelligat. Non
alia loquendi forma vsus sum, quàm Esaias
cap. 45. a. 7. Ieremias, Threno. 2. f. 17. Amos 3.